



Syntagmata Theologica Sive Principalis Theologiæ Tractatus

Continet triplicem Tractatum: Primus est de Conscientia. Secundus agit de Merito. Tertius de Reviviscentia meritorum.

Lourenço, Agostinho

Leodici Eburonum, 1692

Sectio XXVI. Quam opinionem debeat sequi Rex in bello inferendo?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80151](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80151)

gravius, quàm legitima causa postulat, sicque injustum, & peccare contra justitiam, & teneri populo restituere incrementum.

589. Tertiò, si Princeps suâ culpâ, nempe inordinatis suis largitionibus, aliisque superfluis, ac vanis sumptibus, aut bello aliquo etiam injusto, ad eum statum deveniat, in quo non habeat competentes sumptus ad sustinenda onera, & dignitatem suam, posse tributa ad id exigere, & imponere, subditosq; teneri illa solvere, quæ necessaria essent ad sui, & Reipublicæ defensionem, & ad sumptus Principi competentes, licet hic debeat relaxare, quod suâ culpâ fecit illos plus expendere, in quo graviter contra justitiam peccaverat, dummodò progressu temporis ad majorem deveniat abundantiam, aut minuendo aliquid de tributis sibi licitè debitis, aut aliquo alio modo.

590. Quartò, Tributa justè imposita, si non solvantur, esse peccatum grave pro quantitate materiæ: pœnas tamen incurtas ab eis, qui non solvantur, non deberi, nisi post latam sententiam: quæ autem sunt injusta, neque imponi, neque exigi posse; omnesq; qui aliquo modo ad id concurrunt, peccare mortaliter cum onere restituendi: Subditos autem non teneri illa solvere, posse ea denegare, & de illis aliundè compensari, si occasionem honestam habuerint, idque sine scandalo fieri possit. Vide *P. Mol. tom. 3. de just. à d. 686. P. Less. lib. 2. de just. cap. 33. P. Soar. lib. 5. de legibus, à cap. 14. P. Fragor. part. 1. lib. 3. d. 8.* ubi plura de hac re.

SECTIO XXVI.

Quam opinionem debeat sequi Rex in bello inferendo?

591. **S**UPPONENDUM est primò, bellum non esse intrinsicè malum, neque prohibitum Christianis, ut est de fide, & constat ex Scriptura, in qua laudantur bella à Sanctissimis Viris facta, ut legitur de Abraham *Gen. 14.* de Moysè, Josue, Sampsonè, Gedeone, Davide, Machabæis, & aliis. Unde bellum defensivum nõ solum est licitum, etiam in privatis personis tum ex *cap. Si verò, extra de sent. excommun. tum* quia jus propriæ defensionis est naturale, quatenus vim vi repellere omnia jura permittunt: sed etiam aliquando est præceptum, quatenus aliquando propria defensio potest cadere sub præcepto charitatis. Similiter bellum aggressivum etiam non est per se malum, ut constat ex Scriptura locis citatis, ex usu Ecclesiæ, à Patribus, & Pontificibus approbato, ut latè ostendit *Roffens. art. 4.* contra Lutherum; siquidem tale bellum sæpè est Reipublicæ necessarium ad propulsandas injurias, & hostes coerendos, sicque est jure naturæ licitum, & lege Evangelicâ, quæ juri naturali non derogat.

592. Supponendum secundò, bellum, ut honestè fiat, tres inter alias præcipuas condiciones requirere: Prima, ut sit à legitimâ potestate, qualem habent soli Principes supremi superiorem non agnoscetes, prout supra diximus de impositione tributorum. Secunda, ut sit justa causa, & justus titulus. Tertia, ut servetur debitus modus & æqualitas in illius initio, prosecutione, & victoriâ; licet enim bellum per se non sit malum, sæpè ex circumstantiis, & incommodis, quæ secum affert, malè, & illicitè fit.

593. Supponendum tertio, bellum, quod quis sine potestate legitimâ indicit, non solum esse contra cha-

Tom. 2.

ritatem, sed etiam contra justitiam, tenerique restituere omnia damna, etiam si ad sit legitima causa, ut cum ad recuperandas res suas illud aggressus est, quas tamen, si recuperavit, non tenetur restituere, maxime verò damna inde subsecuta; siquidem solum in modo injuriam intulit.

594. Supponendum quartò, Prælatos etiam Episcopos, si qui sint supremi in temporalibus, posse licitè, & sine metu incurrendi irregularitatem, bellum indicere, si adsint aliæ conditiones: Ecclesiasticos tamen in sacris, licet non sint prohibiti de jure Divino, esse de jure positivo prohibitos sub pœna suspensionis militare, ut constat ex *cap. Clericus, dist. 50.* ex aliisque *23. q. 4.* posse tamen Pontificem dispensare in tali præcepto, quod quidem illos obligat sub mortali; cum sit materia gravissima, & sub gravissimis pœnis prohibita: si autem peccet militando, etiam si bellum sit justum, & occidat, manebit irregularis, non ita tamen si occidant alii, ex *cap. Peritio, extra de homicidio, cap. Presentium, cap. Continentia, de Cleric. percussor.* Sicut neque quando licitè militat, etiam si ipse occidat, dummodò ex necessitate inevitabili se defendendi id faciat, aut in defensionem boni communis.

595. Supponendum quinto, nullum posse dari bellum justum, nisi detur justa, & legitima causa, & necessaria, qualis est: gravis injuria illata, quæ aliter reparari nequit, ut si Princeps res alterius occupet, & nolit restituere: si neget communia jura gentium sine rationabili causa, nempe transitum viarum, commercium, &c. gravis læsio in famâ, aut honore: si nolit personæ offensæ restituere damna illata: si injuriam inferat, aut subditis, aut amicis contederatis, aut illis, qui ejus protectioni se commiserunt; alioqui & contra charitatem, & contra justitiam peccabit, tenebiturq; omnia damna ex injusto bello subsecuta reparare.

596. Supponendum sexto, Principes Christianos non posse bellum indicere contra infideles, neque titulo infidelitatis, neque titulo vindicandi injurias contra Deum factas ob peccata contra naturam, aut idololatriæ, cum Deus, qui poterat se ipsum vindicare, non dederit eis hujusmodi potestatem; & alioqui ipsi Principes Christiani possent eodem titulo inter se bella movere, cum multi sint etiam Deo injurii. Neque etiam ex eo titulo, quod infideles non sint veri domini rerum, quas possident, sed aut Imperator Christianus, aut summus Pontifex, quatenus habent dominium directum temporale totius orbis, quod est quid vanum, & conflictum; tum quia eo etiam titulo possent Pontifex, & Imperator bellum agere contra Principes Christianos: tum etiam quia Pontifex, licet indirectè habeat potestatem supremam in temporalibus, illa per seloquendo semper supponit directam in spiritualibus, quæ tamen non extenditur ad infideles non baptizatos. Denique neque titulo, quod infideles sint barbari, & inepti, ut se convenienter regant; evidens enim est multos esse infideles ingeniosiores fidelibus, & aptiores ad res politicas.

597. Supponendum septimò, Principem Christianum non posse bellum contra infideles indicere, nisi aut ratione injuriæ, prout supra diximus fieri posse inter Principes Christianos; aut ob defensionem innocentium, ut si Respublica subdita Principi infideli velit suscipere fidem Christi, ipse verò prohibeat, aut Prædicatores Evangelicos injuriis afficiant; hoc enim reverà gravis injuria est, & damnum, ad quod reparandum possunt bellum indicere. His suppositis.

598. Dubium præsens est: Quâ certitudine constare debeat Principi de justa causa belli; & quam opinionem

R

nionem teneatur sequi, ut illud justum sit? Dico 1. Supremus Rex tenetur ante bellum inferendum ad diligentem causam, & justitiam examinationem. Probatur primò, quia negotium belli est gravissimum; sed ratio postulat, ut in quovis negotio adhibeatur consultatio, & diligentia qualitatibus accommodata; ergo negotio gravissimo gravissima diligentia adhibenda est. Secundò, quia Judex, ut sententiam ferat in privato negotio, debet diligentem adhibere examinationem; ergo à fortiori debet illam proportionaliter adhibere in publica belli causa. Tertio, quia aliter temeritate Principum facile turbarentur omnia; ergo &c.

599. Dico 2. Si Rex, contra quem alius vult bellum indicere, est in possessione Regni, aut Civitatis, habetque æqualem probabilitatem facti cum alio Rege, nempe æqualia instrumenta, & testes, quibus probatur, Regnum, aut Civitatem sibi competere, non potest alius contra possidentem bellum indicere. Ita *Victor. de jure belli relect. de Indis. à n. 27. P. Vasq. 1. 2. d. 64. cap. 3. num. 13. P. Molin. tomo 1. d. 103. P. Soar. d. 13. de bello sect. 6. num. 3. P. Sal. 1. 2. tr. 3. d. unica, sect. 13. num. 128. P. Pal. d. 2. de Conscient. punct. 7. num. 2. Joan. Sanch. d. 44. num. 58. & alii.* Probatur primò, quia hic justè possidet, & ratione possessionis efficacius jus habet; ergo dum omninò non constat, rem ad alium pertinere, non tenetur se ipsum illà privare; ergo neque alius potest illum licitè spoliare, etiam si sit Judex.

600. Probatur secundò, ex *Regul. 11. de reg. jur. in 6. ibi: Cum sunt parium jura obscura, Reo favendum est potius, quam Actori;* qui autem possidet, Reus est respectu illius, qui extra possessionem est, & contra alium agit. Et ex *Regul. 65. ibid. In pari delicto, vel causa, potior est conditio possidentis;* ergo qui possidet præferendus est, cum majus jus habeat; consequenterque alius non potest contra eum bellum movere.

601. Probatur tertio, quia si ille, qui est extra possessionem, posset licitè rem bello occupare, cum etiam alius eadem, imò majori ratione, posset illum defendere, sequeretur dari bellum formaliter, & materialiter justum ex utraque parte; hoc autem affirmare absurdum est, quod nullus admittit; ergo &c.

602. Dices: Princeps supremus non debet esse inferioris conditionis quolibet homine particulari; sed hic habens probabile jus ad Majoratum ab alio possessum, potest litem movere adversus possessorem, ut causà examinata adjudicetur Majoratus habenti majus jus; ergo sic poterit Princeps supremus adversus alium litem movere. Respondeo posse quidem litem, non tamen bellum movere.

603. Difficultas tamen est: Quisnam hujusmodi litem debeat definire? Prima sententia asserit, quemlibet Principem supremum habere jus pronuntiandi sententiam, & sententià in sui favorem pronuntiatà, & regno sibi adjudicato, posse illum occupare, & armis, si opus sit, oppugnare. Ita videntur sentire *Victor. in relect. de jure belli à num. 27. Navar. sum. cap. 25. num. 4. apud P. Vasq. 1. 2. d. 64. cap. 3. num. 11. Non placet, & meritò P. Vasq. cit. P. Sal. 1. 2. tract. 8. d. unica, sect. 13. n. 123. P. Pal. d. 2. de Conscient. punct. 7. n. 4. & alii.* Primò, quia ipse Princeps supremus non est superior alio Principe, cum sit etiam supremus, & etiam de regno contendit; ergo non potest esse illius Judex, neque suà sententià illum ligare. Secundò, quia alius contendens non tenetur, cum sit supremus, se subicere, & apud illum suas rationes allegare; ergo non potest illum alium damnare; ferret enim sententiam contra inauditam partem, quod est injustum ex *cap. Inter quatuor. de Majorit. & obedient.*

604. Secunda sententia affirmat, supremum Principem in proposito eventu, licet non possit bellum movere adversus alium, posse tamen Jurisperitos sui Regni consulere, qui si ei adjudicent efficacius jus, poterit Regnum possidere, & si impediatur, armis oppugnare. Ita *Victor. cit. P. Soar. de Charit. d. 13. sect. 6. num. 2. Villalob. tom. 1. sum. tract. 1. diff. 17. n. 7. & 8.* Et ratio est, quia Judex debet sententiam ferre pro illo, qui majus jus habet; siquidem cum sententia sit actus justitiæ distributiæ, præferendus est dignior; dignior autem est, cui probabilius jus favor; sed loco sententiæ ferendæ in supremis Principibus succedit declaratio majoris Juris, & probabilitatis; ergo hæc factà, quasi per sententiam sibi est regnum adjudicatum; poteritque illud tentare possidentem, & impediendum armis oppugnare.

605. Non placet, quia etiam alius Princeps suos habebit consiliarios; qui ei adjudicent majus jus; præsertim cum ei faveat possessio; ergo non est major ratio cur illud potius, quam hoc consilium executioni mandetur: utrumque autem non potest; alioqui daretur bellum justum ex utraque parte; ergo &c. Neque dicas mandandum esse executioni consilium illius, qui in armis potentior fuerit; alioqui jus regnandi ex armis mentium esset, quod est barbarum, & contra naturam rationalem; illeque diceretur majus jus habere, qui potentior esset in armis. Ita *P. Pal. cit. n. 5.*

606. Tertia sententia tenet, in proposito eventu dividendum esse regnum pro qualitate dubii: aut unum Principem alteri debere recompenationem facere, in quo si alius non cõsentiat, posse tunc oppugnari. Ita *Bannez 2. 2. quest. 40. art. 1. dub. 4. & 5. concl. 3. Rodrig. in sum. cap. 124. num. 3.* Non placet, nam qui est in possessione legitima, nunquam cogitur rem cum alio dividere, neque recompenationem facere; ergo non ita est cogendus, qui regnum possidet. Ita *P. Mol. tomo 1. de just. d. 103. §. Mihi verò. P. Sal. cit. n. 130. P. Pal. cit. n. 6.*

607. Dicent cum *P. Mol. cit. §. Illud libenter,* saltem teneri sic dividere pro qualitate dubii, quando possidens propenderet magis rem pertinere ad Adversarium, quam ad se ipsum, neque deposità passionem, adhibitâque omni diligentia possit veritatem, omni semoto dubio, deprehendere. Sed contra primò, quia ratio possessionis vincit quodlibet jus alterius probabile; ergo non tenetur à regno, aut parte illius se spoliare, quousque sententia proferatur. Secundò, quia non esset levis controversia in assignanda parte Contrario tradenda. Tertio, quia regnum dividere absque illius consensu, esset grave malum, & perniciosum ipsi regno; ergo &c. Hæc etiam factis probant, neque ante illius possessionem esse regnum dividendum. Quarta sententia defendit, causam in proposito eventu decidendam esse per Summum Pontificem. Non placet, quia summus Pontifex nullam habet jurisdictionem in regnis alienis quando agit de solo bono temporali; ergo &c.

608. Quinta, & probabilior sententia docet, si litigantes super aliquo regno sint partes ipsius regni: aut unus pars regni prætensi, qui fortè possidet, alius verò sit Princeps supremus: aut uterque sit supremus, teneri iudicio regni stare, litemque decidendam esse ab ipso regno, id est, ab ipsis, qui mortuo Rege ex electione Civitatum habent jus gubernandi. Ita *P. Vasq. 1. 2. d. 64. cap. 3. P. Pal. tit. num. 7. & ex parte P. Molin. cit. P. Bard. cit. num. 7. Perez. num. 109. & alii.* Probatur, quia tunc causa per aliquos decidenda est; sed non per leges regni extranei; ergo per leges ipsius regni; sed cum tales leges in prædicto eventu sint dubiæ, indigent interpretatione

pretatione, quæ solum est de obscuris, ut ex multis textibus probat *Lara de Capel. lib. 1. cap. 3. num. 32.* in prædicto autem casu nemo potest melius, neque authenticè leges interpretari, nisi illi gubernatores sic designati; ergo per illos est causa dicenda.

609. Dicent cum *P. Mol. cit. §. Adverse. P. Soar. de Charit. d. 13. sect. 6. num. 6.* Principem supremum, nemini esse subjectum, & sæpè suspectos habere Judices externos, sicque non teneri se subicere Judicibus inferioribus, neque stare judicio eorum, quos ipse non constituit ad causam judicandam. Sed contra, quia Principes in prædicto eventu non habent se ut Principes, sed ut partes inter se litigantes, sicque debent ut tales Judicibus se sistere, licet possint aliquos recusare; quod enim personis particularibus conceditur, eis non denegatur, in quâ reculatione si alius non consentiat, poterit qui reculat injuriam sibi factam vindicare.

610. Hinc sequitur, si lis moveatur super aliquo Comitatu subdito alicui Regi, aut Regno, litigantes, etiam si sint Principes supremi, debere stare eorum judicio: tum ob rationem assignatam: tum quia occupans, aut intendens occupare talem Comitatum fit subditus illius Regis, aut Regni, sub cujus ditione est; ergo tenetur ei ostendere titulum Comitatus prætexti; alioqui si non ostendat, poterit Rex à suo territorio expellere; ergo ab illo est causa decidenda. Ita *P. Vasq. cit. num. 18. P. Pal. cit. num. 8.* Adhuc tamen:

611. Quæres primò: Quomodo, & à quo decidenda est causa, si controversia sit inter Principes supremos, aut Respublicas non agnoscentes superiorem, & nullus est in legitima possessione regni, & pro utraque parte sunt variz rationes, non tamen est evidens, cuinam sit regnum adjudicandum. Prima sententia affirmat, unumquemque habere jus ad primò occupandum. Ita *P. Soar. de Charit. d. 13. sect. 6. num. 4.* qui non reputat inconveniens, dari tunc bellum justum ex utraque parte, cum interveniat ignorantia. Et ratio est, quia Judex in simili potest, cui velit, rem adjudicare; ergo etiam supremus Princeps, qui in proposito eventu est sibi supremus Judex, poterit sibi licitè regnum ipsum applicare.

612. Non placet, quia dato, quod Judex ad servandam Reipublicæ pacem, possit uni ex litigantibus rem adjudicare, quando solum est jus æquale (quod supra negavimus,) non idè quilibet Rex potest sibi regnum applicare; siquidem unius applicatio non excludit alterius applicationem, sicque non erit pax, sed bellum Reipublicæ; ergo ratio naturalis non potest utrique tribuere jus, ut regnum integrè sibi vendicat; ergo debent ab alio tertio definitionem expectare.

613. Dicent, posse quemlibet de consilio Sapientum sui regni moveri ad occupandum regnum, Sed contra, quia ex hoc sequeretur idem inconveniens, ac si quilibet Rex regnum sibi applicaret; ergo à quibusdam aliis Judicibus decidenda est controversia in casu supra proposito de æqualitate juris absque possessione.

614. Secunda sententia asserit, causam in proposito eventu decidendam esse à Judicibus regni, circa quod est contentio, prout supra diximus *n. 608.* aut si aliquis ex litigantibus eos recuset ut suspectos, designandos esse Judices arbitros, quorum judicio standum, neque interim posse bellum moveri, cum nullus alteri injuriam faciat bello vindicandam; quod si quis pendente lite moveat, hoc ipso injuriam faciet, quam poterit justè repellere, & hoc titulo justè belli totum regnum occupare; sicut

Tom. 2.

etiam illud poterit occupare illè, pro quo sententia fuerit lata, etsi condemnatus resistat; siquidem tunc habet jus certum evidentiæ legali. Ita *P. Vasq. 1. 2. d. 62. cap. 3. Joan. Sanch. d. 44. num. 56. P. Pal. cit. num. 9.*

615. Utrum autem Rex, cui primò adjudicatum est regnum, debeat expectare sententiam ultimam? Negat *Perez certam. 10. num. 105.* idemque videtur sentire *P. Soar. cit. num. 2.* siquidem quando pro illo data est jam aliqua sententia, jam firmius jus habet; sed quando pro aliquo certum est, firmius jus esse, potest rem intrare possidendam; ergo &c. Non placet, si sententia illa appellationem, aut supplicationem admittat; nam appellatio, & supplicatio suspenderent executionem sententiæ armis obtinendam; alioqui frustra expectaretur ultima sententia, si alius jam esset in possessione. Ita *P. Pal. d. 2. de Conscient. punct. 7. num. 11.*

616. Tertia sententia probabilis docet, in proposito eventu regnum manere liberum, postque se aut modo Reipublicæ exemptæ gubernare, aut alium Regem à litigantibus diversum eligere. Ita *P. Sal. 1. 2. tract. 8. d. unica. sect. 13. num. 105. P. Pal. cit. n. 10.* Et ratio est, quia litigantes habent jus incertum, ergo Respublica nulli eorum tenetur regnum adjudicare, cum non sit certum alicui deberi; ergo videtur Respublica succedere tanquam carens successore. Dicent, teneri regnum inter litigantes dividere. Sed contra, quia hoc, ut diximus, cederet in gravem perniciem ipsius Reipublicæ, cujus damnum præferendum est cuilibet damno, aut utilitati particulari.

617. Quæres secundò: Quid faciendum, quando alicui certò constat, regnum sibi competere; alius verò in legitima possessione est? Respondeo, debere monere possessorem, ut dimittat, allegatis causis, & rationibus sui juris, cum teneatur bellum vitare, quantum potest: Si autem monitus noluerit dimittere, poterit tunc illum licitè oppugnare; siquidem pro tunc habet justam causam bellandi, nempe injuriam factam vindicare, cum id nullâ aliâ viâ efficere possit, nisi bellando. Ita *P. Mol. P. Vasq. P. Sal. Villalob. Vicor. & Perez,* quos citat & sequitur *P. Pal. d. 2. de Conscient. punct. 7. num. 13.*

SECTIO XXVII.

Quam opinionem teneatur miles sequi, ut possit, & teneatur Principi obedire in bello inferendo?



618. DVERTENDUM est sermonem posse hinc esse, aut de cooperatores, sive militibus, qui sint subditi illius Principis, qui bellum inferit: aut de extraneis: de his infra, de subditis autem nunc dicendum: An scilicet quando illis non constat, neque de justitia, neque de injustitia belli, teneantur quidquam inquirere: & an in dubio de justitia belli, possint licitè pugnare?

619. Dico. Qui ad Principis consilium vocantur, vel admittuntur, tenentur inquirere, & examinare justitiam belli; alioqui si eorum malitiâ, aut negligentia culpabili bellum injustum inferatur, graviter peccabunt, & tenebuntur damna omnia exinde subsecuta restituere. Ita *P. Molin. tomo 1. de just. d. 112.* Probatur, quia qui potest impedire, & non impedit hujusmodi damna, & graviter peccat, & ad eorum restitutionem tenetur; sed hi, de quibus loquimur,

R 2

non